



Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Art. 3. Utrùm & quantùm systema Jansenii, quod ad gratiam & liberum arbitrium, eorumque inter se concordiam attinet, differat à systemate defensorum physicæ prædeterminationis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83614)

altera, nempe à cœlesti, ad volendum bonum prædeterminari ac necessitari, sicque modò à necessitate volendi bonum ad necessitatem volendi malum, & vicissim à necessitate volendi malum ad necessitatem volendi bonum transferri potest. Atqui etiam apud Calvinum utraque necessitas est essentialiter relativa ad aliquam delectationem, una scilicet ad terrenam, & altera ad cœlestem, & hæc delectationes alternatim prævalere possunt. Unde Calvinus docet lib. 3. Institut. cap. 2. electos quandoque transgredi voluntariè mandata divina, & è contra reprobos quandoque ea voluntariè observare. Docet enim electos quandoque v. g. voluntariè non credere, & ita voluntariè fidem amittere; reprobos verò quandoque voluntariè credere, & Deum diligere. Ergo tam apud Calvinum utraque necessitas variabilis est, quam apud Janseum.

Dices. Denique pro Janseio contra Calvinum; Necessitas modò volendi bonum, modò volendi malum, cui hominem subjicit Janseus, non excludit indifferentiam contrarietatis & contradictionis, ut patet ex titulo, cap. 20. lib. 8. de gratia Christi ubi dicitur: *Agnovit Augustinus sub gratia, & ante gratiam, indifferentiam contrarietatis & contradictionis quodam sensu, non tamen tanquam libertatem, aut partem ejus.* Atqui Calvini necessitas excludit indifferentiam contrarietatis & contradictionis: utramque enim explodit Calvinus. Ergo perperam doctrina Janseii cum Calvini doctrina subjicitur anathemati Tridentino.

Resp. Janseii necessitas non excludit indifferentiam contrarietatis & contradictionis quodam sensu. Hæc autem indifferentia contrarietatis & contradictionis quodam sensu, non est aliud, juxta Janseum, quàm flexibilitas seu veritabilitas voluntatis, quæ nunquam, quandiu in hac mortali vita versamur, ad unum invariabiliter est prædeterminata; sicut è contra in altera vita voluntas beatorum ad bonum, & voluntas demonum ad malum volendum & agendum prædeterminata est invariabiliter. Unde fit (ut verbis ipsius Janseii cap. citato) *ut quibuscumque positis, quæ ad agendum bonum aut malum requisita sunt, possit liberum arbitrium in hac vita facere bonum & malum, facere alterutrum & non facere*; Hoc est, unde fit, ut voluntas possit alternatim facere bonum & malum, quia potest alternatim necessitari ad bonum & malum; ut possit alterutrum facere & non facere, prout ad alterutrum necessitatur, vel non necessitatur.

Hanc veritabilitatem, non ligatam, sed expeditam, non remotam tantum & radicalem, sed proximam, quam in hac mortali vita propter delectationum inconstantiam & variabilitatem habet voluntas, & propter quam voluntas, juxta Janseum, rectè dici potest habere indifferentiam contrarietatis & contradictionis aliquo sensu, didicit Janseus à Luthero in libro de servo arbitrio, ubi Lutherus proficitur illam se voluntatis mutabilitatem & veritabilitatem, liberumque hoc sensu arbitrium amplecti, quamvis, inquit, *rectius veritabile arbitrium, vel mutabile arbitrium diceretur, quam liberum.* Et ibidem: *Donemus id abusui, licet magno & periculoso, ut idem sit liberum arbitrium, quod veritabile arbitrium.* Et inferius illam voluntatis veritabilitatem & flexibilitatem sic exponit: *Humana voluntas in medio posita est seu jumentum. Si insederit Deus (per gratiam suam,) vult & vadit quò vult Deus. Si insederit Sathan (per malam suggestionem) vult & vadit, quò vult Sathan.*

A Luthero igitur didicit Janseus in voluntate sub gratia & ante gratiam manere indifferentiam contrarietatis & contradictionis aliquo sensu; quamvis voluntas sive bonum sive malum nunquam velit & faciat, nisi ex antecedenti & insuperabili necessitate. Illam autem indifferentiam non excludit Calvini necessitas; cum flexibilitatem & veritabilitatem voluntatis non excludat, ut demonstratum est: neque illam indifferentiam explodit Calvinus, sed acti-

Simonnet Theol. Tom. II.

vam contrarietatis & contradictionis indifferentiam, quæ est eligendi facultas, in utramque partem libera & soluta, quæ est vis volendi vel non volendi, agendi vel non agendi, omnis omnino antecedentis sive violentæ, sive etiam voluntariæ necessitatis intrinsecæ expers.

Hanc porro activam indifferentiam non minori, quam Calvinus, vehementia insectatur Janseus, & tam, quam ille, ut Pelagianæ pravitatis caput averfatur; ut patet etiam ex c. 20. lib. 8. de gr. Christi, ubi de illa sic loquitur: *Talis indifferentia contrarietatis ab Augustino constantissimè negata fuit, & à Pelagianis constantissimè postulata ... Illa quippe data, nihil facilius est, quam totam Pelagianam hæresim defendere, ipsumque peccatum originale de medio tollere. Nam illa sola ratio fuit, cur istam indifferentiam contrarietatis tam importunè flagitarint isti, & ille pernegarit.* Habes igitur Janseum in omnibus, quæ ad actualem gratiam & liberum hominis arbitrium, eorumque inter se concordiam attinent, Calvino consentientem in re, licet identidem fortasse voceretur dissentientem.

ARTICULUS III.

Utrum & quantum systema Janseii, quod ad gratiam & liberum arbitrium, eorumque inter se concordiam attinet, differat à systemate defensorum physice Prædeterminationis.

R E S P O N S I O.

MUltis ex capitibus differt. *Prob.* Nam 1. Janseus essentiam libertatis arbitrii constituit in sola immunitate à coactione seu violenta necessitate: ita ut juxta illum, voluntas libera sit libertate arbitrii circa illud omne quod vult; quantumvis ad illud volendum sit antecederet & irresistibiliter determinata, quia videlicet immunis est à coactione circa illud omne quod vult; cum omnis volitio sit essentialiter spontanea, atque ita quidquid vult voluntas, essentialiter velit illud sponte, & non coactè. Quare juxta Janseum, immunitas à necessitate simplici seu voluntaria, non est nisi quidam status liberi arbitrii, sine quo tota liberi arbitrii essentia potest esse: *Hanc esse genuinam, inquit, verissimamque loci illius de Civitate Dei intelligentiam, quod sola videlicet necessitas illa violenta, sub qua arbitrium premitur atque cogitur, seu necessitas coactionis libertati arbitrii adversetur, non autem determinationem ad unum, non solum omnia Augustini principia, quæ tradidimus, fateri cogunt, &c.*

Physicæ Prædeterminationis defensores essentiam libertatis arbitrii in immunitate à simplici necessitate constituunt. Unus hic nobis erit ad instar omnium Didacus Alvarez, insignis Thomista, qui pro physica prædeterminatione Romæ decernavit coram summo Pontifice. Hic lib. 12. disp. 115. num. 4. definit liberum arbitrium potentiam operandi vel non operandi, positis omnibus ad agendum prærequisitis. Quam doctrinam tradit ut definitam in Concilio Trident. contra Calvinum, qui dixit hominem quidem concurrere activè ad actum, quem Deus in nobis producit, non tamen concurrere motu libero (à simplici necessitate) sed spontaneo duntaxat, & non coactè. Hinc inferius docet Alvarez num. 9. amorem beatificum esse actum simpliciter necessarium, non verò liberum arbitrii libertate: *Dilectio, inquit, beatifica, quæ est in beatis, ut terminatur ad Deum, est actio simpliciter necessaria, & non libera: quia nimirum beati in cælo amant Deum necessario necessitate simplici.*

2. Janseus docet, ut non semel ostensum est, activam indifferentiam, seu facultatem se ipsum determinandi in homine penitus & irreparabiliter extinctam esse per peccatum originale. Thomistæ verò hanc doctrinam execrantur ut hæreticam, & ut talem à Tridentina Synodo anathematizant in Calvino, asserente hominem in hoc statu naturæ lapsæ ad actum ad quem moveretur à Deo, non motu libero, seu

D 3

spon-

spontaneo tantum concurrere, ut patet ex Alvarez loco citato. Præterea, Thomistæ ut dogma fidei tenent hominem in hoc statu circa bonum & malum liberum esse libertate arbitrii, & libertatem arbitrii constituunt in activa ad utrumlibet indifferentia: *Formalis, inquit Alvarez, lib. 12. disp. 116. num. 8. libertas arbitrii creati consistit in indifferentia activa ipsius facultatis libere, quæ indifferenter se habet ad opposita.*

3. Juxta Jansenium, in præsentī statu omnis gratia, quæ dat posse completum, est ex natura sua & insuperabiliter efficax, ut patet ex dictis art. 1. Unde juxta Jansenium, pro statu præsentī gratia ex natura sua ac insuperabiliter efficax, & gratia verè sufficiens convertuntur inter se. Unde ulterius, juxta eundem, nulla est in præsentī statu gratia verè sufficiens, quæ non sit simul ex natura sua & insuperabiliter efficax; atque ita quicumque habet gratiam verè sufficientem ad implendum aliquod præceptum, non potest illud non implere, quia ad illud implendum habet gratiam ex natura sua & insuperabiliter efficacem: è contra quicumque non habet gratiam ex natura sua & insuperabiliter efficacem ad implendum aliquod præceptum, non potest illud non transgredi, quia non habet gratiam verè sufficientem ad illud implendum; item quicumque accipiunt gratiam verè sufficientem ad salutem consequendam, non possunt non salvari, quia accipiunt gratiam ex natura sua & insuperabiliter efficacem ad salutem consequendam: è contra quicumque non accipiunt gratiam ex natura sua & insuperabiliter efficacem ad salutem consequendam, non possunt non damnari, quia non accipiunt gratiam verè sufficientem ad salutem consequendam. Hinc in doctrina Jansenii, quicumque transgrediuntur præcepta, transgrediuntur ea necessarīo, & ex vera ac reali impotentia ea servandi. Item qui damnantur, necessarīo damnantur, & ex vera ac reali impotentia salutis consequendæ.

Thomistæ præter gratiam ex natura sua efficacem, admittunt gratiam sufficientem. Nam sic loquitur Alvarez, lib. 8. disp. 71. num. 2. *Dicendum est, auxilium gratiæ convenienter ... dividi in auxilium sufficiens, & auxilium efficax. Et inferius: Eadem divisio gratiæ colligitur ex Concilio Trident. sess. 6. c. 11. ubi ait: Deus impossibilia non præcipit, &c. Et adhuc inferius num. 12. Si non daretur gratia verè sufficiens, sequeretur quod illi omnes, qui non convertuntur, aut salvantur, revera converti non possent, aut salvari: quod tamen non potest admitti. Docent præter hanc gratiam non aliud requiri auxilium, ad hoc ut voluntas verè possit bonum velle & operari; quamvis ulterius requiratur ad hoc ut voluntas velit & operetur bonum, adeoque docent hanc gratiam, dare completum & perfectum posse: Gratia sufficiens, inquit Alvarez, lib. 8. disp. 76. n. 3. tribuit libero arbitrio vires sufficientes, quibus revera possit ad Deum converti, aut pie operari. Hanc gratiam saltem passivè sumptam, constituunt in excitante gratia, quæ internam intellectus illustrationem simul & supernaturalem voluntatis motionem indeliberatam complectitur: Respondetur, inquit Alvarez num. 6. gratiam excitantem, quæ non solum recipitur in intellectu, sed etiam in voluntate, tribuere homini vires sufficientes, quibus ad Deum converti possit, vel pie operari si velit. Superius dixerat: Gratia excitans, ut complectitur non solum illuminationem externam, & internam intellectus, sed etiam motionem supernaturalem receptam in voluntate, idem est realiter quod gratia sufficiens.*

Huic gratiæ dicunt hominem dissentire posse, si velit, etiam in sensu composito: *Si sermo sit, inquit Alvarez, lib. 9. disp. 92. n. 8. de auxilio sufficienti, homo excitatus tali auxilio, potest illi dissentire, etiam in sensu composito: nam dissensus actualis & auxilium sufficiens simul compatiuntur in eodem. Cum è contra homo gratiæ efficaci dissentire non possit, nisi in sensu diviso. Nam sic prosequitur idem: Si autem loquamur de auxilio efficaci, liberum arbitrium mo-*

tum tali auxilio, potest dissentire absolute, & in sensu diviso, non autem in sensu composito.

Ad majorem doctrinæ suæ explicationem distinguunt duplex posse, nempe posse simpliciter, & posse cum addito. Voluntas habet posse simpliciter, cum habet omnia ex parte actus primi requisita, licet aliquid requiratur ulterius, ut ab actu primo transeat ad secundum. Habet posse cum addito, cum habet quicquid requiritur non solum ex parte actus primi, sed etiam ex parte actus secundi; cum habet quicquid requiritur non solum ut verè & proximè possit operari, sed etiam ut re ipsa operetur. Posse simpliciter, secundum Thomistam, est posse verè & proximè ad actum reducibile. Posse cum addito, est posse re ipsa reducendum, vel potius quod re ipsa reducitur ad actum. Primum posse dicit solum actum primum proximum; secundum verò actum primum proximum cum actu secundo. Gratia excitans, quæ complexum est ex interna mentis illustratione, & motione indeliberata voluntatis, dat primum posse, præciso, aut etiam sublato auxilio efficaci: unde est gratia verè sufficiens; quamvis, ut voluntas re ipsa operetur, requiratur adhuc ulterior gratia prædeterminans; atque ita gratia excitans non det secundum posse, nisi accedente ulteriore gratia prædeterminante, quacum, dando hoc posse, constituit gratiam completè sufficientem, ultra quam neque ad posse, neque ad operari requiritur ulterius auxilium. Hinc

In Thomistarum systemate distinguenda est duplex gratia verè sufficiens; una verè quamvis incompletè sufficiens, & altera verè & completè sufficiens. Prima dat verum, completum, & proximum posse; sed non dat ipsum operari: unde dicitur incompletè sufficiens, non quod det incompletum tantum posse, sed quia cum vero, proximo, & completo posse operari, non dat ipsum operari, quod dat secunda: unde dicitur non solum verè, sed etiam completè sufficiens, quia includit ultimum complementum ad actualem operationem requisitum & sufficiens; quod complementum non includit gratia primo modo verè sufficiens, quapropter dicitur sufficiens incompletè. Prima carere potest suo effectu, & sæpe caret; secunda verò illum non potest non habere. Primæ voluntas dissentire potest, etiam in sensu composito; secunda verò non nisi in sensu diviso.

De secunda loquitur Alvarez, cum ait, lib. 8. disp. 79. n. 3. *Illud auxilium dicitur completè ... sufficiens ad aliquam operationem, ultra quod nullum aliud auxilium est absolute necessarium, ut illa operatio actu producat. De prima verò, cum dicit eod. n. Illud auxilium dicitur verè sufficiens ... ad aliquam operationem, quod tribuit posse comparatione ejusdem operationis, ita videlicet ut nullum aliud auxilium sit absolute necessarium, ut homo verè dicatur posse illam operationem producere. Quod ut probet, subjicit hanc conclusionem nu. 4. Hæc duo simul sunt compossibilia, quod scilicet præter auxilium sufficiens, quod tribuit posse, sit absolute necessarium aliud auxilium prævenientis gratiæ efficaci, tribuens actualiter pie operari, & nihilominus auxilium illud, quod dicitur sufficiens, sit verè sufficiens, &c.*

Dices. Gratia illa excitans, in qua Thomistæ constituunt gratiam sufficientem, licet præter illam ad actualem operationem requiratur aliud auxilium ex natura sua efficax, & non est nisi nominatenus gratia sufficiens, & est re ipsa gratia insufficientem in æstimatione morali. Negatur. Prob. Ille non habet nisi gratiam in æstimatione morali insufficientem, qui non habet posse verum, completum & proximum in æstimatione morali. Sed in systemate Thomistarum, hoc posse non habet, qui habet solam gratiam excitantem. Ergo, &c. Negatur min. Prob. Hoc posse non habet qui caret aliquo auxilio absolute necessario, sive auxilium illud ad ipsum posse operari, sive ad actualem operationem tantum dicatur esse necessarium. Atqui in systemate Thomistarum, qui habet

habet solam gratiam excitantem, caret aliquo ulteriore auxilio, ad actualem saltem operationem absolute necessario. Ergo, &c.

Resp. dist. maj. Hoc posse non habet qui caret aliquo auxilio absolute necessario, si necessarium sit ad ipsum posse operari, C. maj. Si tantum necessarium sit ad actu operari, Subdist. Si careat illo auxilio abque omni sua culpa, iterum C. maj. Si careat illo auxilio ob aliquam suam culpam, praesertim si haec culpa praesens sit, Neg. maj. At in systemate Thomistarum, qui urgente v.g. precepto aliquo, quod servari non potest sine adjutorio gratiae, habet solam gratiam excitantem, 1. habet omne auxilium ex parte actus primi requisitum. 2. Non habet quidem auxilium absolute necessarium ex parte actus secundi, at non habet ob suam praesentem culpam. Audiamus Alvarezem, cui magno consensu suffragatur Schola Thomistica: *Carentia*, inquit lib. 9. disp. 102. n. 3. *adjuvantis gratiae ... potest accipi, ut est privatio gratiae adjuvantis, & in hac acceptione dicendum est, hanc causalem veram esse: quia homo non vult operari, aut bene uti gratia excitante, vel sufficiente; ideo non adjuvatur à Deo: quia homo se ipsum impedivit, ne daretur illi gratia adjuvans, ideo non confertur. Et inferius: Quamvis*, inquit num. 6. *prius sit in signo rationis, quod homo iuvetur à Deo; quam bene utatur gratia sufficiente; non tamen est prius, quod adjuvatur à Deo, quam posse bene uti eadem gratia sufficiente. Cum ergo ante gratiam adjuvantem possit quis bene uti gratia sufficiente, si velit; ideo recte dicitur, illum propterea non bene uti eadem gratia, quia non vult: ac per consequens recte etiam dicitur ponere impedimentum gratiae adjuvantis, quam Deus ex parte sua paratus est omnibus conferre.*

At inquires. Gratis dicunt Thomistae gratiam praedeterminantem pertinere tantum ad actum secundum, non ad actum primum, & se habere per modum concursus actualis, non verò per modum virtutis completis posse simpliciter. Item gratis, improbabiliter, & inintelligibiliter dicunt, Deum, cum dat alicui gratiam excitantem, simul offerre gratiam praedeterminantem, atque pendere ab homine, ut illam habeat, vel non habeat, non ponendo scil. vel ponendo impedimentum, ne detur.

Resp. Ipsi viderint: ipsorum enim est huic instantiae satisfacere, & satisfacere se putant. Quod hic nobis pro eorum systematis à systemate Jansenii discrimine sufficit, defendunt gratiam verè sufficientem, distinctam à gratia ex natura sua efficaci, praeter gratiam physicè praedeterminantem admittunt gratiam excitantem, quae dat verum, proximum, & completum posse ad actum reducibile, & quod re ipsa ad actum reduceretur, addita gratia physicè ad agendum praedeterminante, nisi homo se ipsum impediret, ut loquitur Alvarez, ne gratiam hanc, quam Deus ex parte sua paratus est omnibus conferre, acciperet; vel, ut alii loquuntur Thomistae, si homo ad consentiendum excitanti gratiae praedeterminari se sine-ret: quare si, accepta excitante gratia, peccat, hoc non alicui impotentiae, sed voluntatis suae malitiae imputare debet.

Dices adhuc. Eodem planè modo in systemate Jansenii potest assignari gratia verè sufficiens ad posse, distincta à gratia ex natura sua efficaci, absolute necessaria ad velle. R. Hoc esse falsum. Nam in systemate Jansenii, sola gratia ex natura sua efficax, verè sufficiens est ad posse; quod faciliè demonstratur. Gratia verè sufficiens ad posse, est ea tantum, quae sufficit ad perfectum posse; quae data, existit verum, proximum, & completum posse simpliciter; ita ut ad actu operandum, seu volendum, aut nullum ulterius adjutorium requiratur, aut si ulterius requiritur, non ad ipsum posse operari, seu velle, sed solum ad actualem operationem, seu volitionem requiratur: ita docent Thomistae. Atqui in systemate Jansenii, sola gratia ex natura sua & infastrabiliter efficax, sufficit ad perfectum posse. Ergo in systemate Jansenii, sola & est & esse potest gratia verè sufficiens ad posse. *Prob.*

Simonnet Theol. Tom. II.

min. In systemate Jansenii, gratia in tantum sufficit ad perfectum posse, in quantum sufficit ad perfectum velle: nam, juxta Jansenium, gratia dat posse, quia dat velle, & voluntas potentiam, non potentia voluntatem praecedat: unde, juxta Jansenium, si gratia dat tantum imperfectum velle, dat tantum imperfectum posse; nec dat perfectum posse, nisi quia dat perfectum velle. Atqui in eodem Jansenii systemate, sola gratia ex natura sua & infastrabiliter efficax, sufficit ad perfectum velle: nam ad perfectum velle, juxta Jansenium, sola sufficit delectatio celestis praedominans, in qua gratiam ex natura sua efficacem constituit. Ergo, &c.

Probabilis tamen negatum. Jansenius distinguit & admittit duplicem delectationem celestem, unam scil. majorem delectatione terrena, & alteram minorem. Atqui haec celestis delectatio terrena delectatione minor, tam dici potest in systemate Jansenii gratia verè sufficiens ad posse, quam gratia verè sufficiens ad posse dicitur gratia excitans, separata à physicè praedeterminante, in systemate Thomistarum. Ergo, &c.

Resp. neg. min. Nam in systemate Thomistarum, homo cum gratia excitante habet verum, proximum, & completum posse simpliciter; quamvis ad actu operandum indigeat ulteriori auxilio praedeterminante ad actualem operationem; quia, secundum Thomistas, auxilium hoc se habet per modum actualis concursus, pertinentis ad actum secundum, non per modum virtutis, ad actum primum pertinentis; & à Deo offertur homini, cum ei dat excitantem gratiam; & sic in potestate hominis est, ut illud habeat; nec illo caret, nisi quia ponit impedimentum, ne illud accipiat. Unde in systemate Thomistarum, homo cum gratia excitante, verè, proxime, & completè potest pie operari si velit, & non operatur, quia non vult gratiae excitanti consentire, cum possit velle.

In Jansenii verò systemate, homo cum delectatione celesti, quae terrena delectatione minor est, non habet verum, proximum, & completum posse simpliciter; vel, ut cum Jansenio loquar, non habet perfectum posse, sed imperfectum tantum, & quod tantum valet ad velleitates & inefficacia desideria, quibuscum homo nec operatur, nec operari potest bonum, ut docet Jansenius ipse, libro 2. de gratia Christi, cap. 27. Verba ejus articulo primo retulimus. Dicere autem quod gratia, quae dat posse, quod tantum valet ad velleitates quasdam, & inefficacia desideria, quibuscum bonum nec agitur, nec agi potest, det verum & completum posse bonum, adeoque sit gratia verè sufficiens vel in sensu Thomistico, evidenter absurdum est & intolerabile: evidenter enim falsum est, quod tunc homini nihil desit ex parte potentiae ad hoc ut bonum velit & operetur. Ergo, &c.

Praeterea, homo cum illa celesti delectatione non habet verum, proximum, & completum posse simpliciter bonum, quacum habet insuperabilem necessitatem peccandi: tunc enim habet insuperabilem necessitatem respuendi bonum, adeoque veram impotentiam volendi & operandi bonum. Atqui in systemate Jansenii, homo cum celesti delectatione, quae terrena delectatione minor est, insuperabilem habet necessitatem peccandi. Ergo, in systemate Jansenii, homo cum celesti delectatione, quae terrena delectatione minor est, non habet verum, proximum, & completum posse simpliciter bonum, sed è contra veram habet impotentiam volendi & operandi bonum.

Prob. min. In systemate Jansenii, tandiu homo insuperabilem habet peccandi necessitatem, quandiu subest terrena delectationi praedominanti. Atqui in eodem systemate, homo cum celesti delectatione, quae terrena delectatione minor est, subest praedominanti terrena delectationi: tandiu enim, juxta Jansenium, terrena delectatio praedominatur, quandiu à delectatione celesti non superatur; nec superari

potest à delectatione cœlesti, quandiu hæc delectatio minor est. Ergo, &c.

Hoc argumentum suggerit Janſenius, lib. 4. de gr. Christi, cap. 6. ubi sic loquitur: *Ex his jam perspicue intelligitur, tantoperè esse necessariam istam delectationis divinæ gratiam, quando cum terrenarum rerum delectationibus ac delectationibus dimicamus, (semper autem, juxta Janſenium, dimicamus) ut nisi major fuerit, quàm terrena, qua noster affectus detinetur, fieri non possit, quin propriæ voluntatis infirmitate vincamur. Major enim delectatio nunquam sanè delectatione minore superabitur. Et sub finem: Inde quoque proficiscitur, quòd quando animus ista cœlesti suavitate (quæ terrena major est) desinitur, non possit aliud, quàm rerum terrenarum delectationes appetere & sequi. Ecce, juxta Janſenium, homo cum cœlesti delectatione, quæ terrena delectatione minor est, non potest aliud, quàm rerum terrenarum delectationes appetere & sequi, adeoque non potest aliud, quàm peccare; & nihilominus à Janſenii discipulis hæc minor cœlestis delectatio dici poterit gratia verè sufficiens, eo sensu quo Thomistæ gratiam excitantem dicunt esse gratiam verè sufficientem? sed qua fronte?*

Thomistæ, cum cæteris omnibus, qui catholicè sentiunt, præter gratiam efficacem, quacum homo bonum vult & operatur, aliam agnoscunt & tuerentur verè sufficientem, quacum homo verè potest operari bonum; quacum operaretur, si vellet, & quacum non operatur, quia non vult. Quantum autem ab hac doctrina alienus sit Janſenius, testis ipse est, lib. 2. de gr. Chr. c. 27. ubi sic ait: *Respondeo nihil verius dici posse, quàm quòd omnia, quæ hæcenus protulimus, de gratia efficaci Augustinus dixerit, atque intellexerit. Cujus rei causa est, quòd nullam agnovit aliam actualem Christi gratiam, nec agnoscere poterit, nisi regulas omnes fundamentales, quibus innixus naturam gratiæ medicinalis tradidit & explicuit, vellet interimere. Et inferius: Quapropter quisquis jam alia divinæ gratiæ adjutoria infirmis hominibus afferre nititur, quæ deserant si velint, & in quibus permaneant si velint, cum quibus tanquam sufficientibus operentur si velint; nihil aliud imprudens facit, nisi ut originalis peccati virus evacuet, illasas liberi arbitrii vires esse, Christum frustra venisse, & gratis mortuum esse persuadeat.*

Vides omnem gratiam verè sufficientem, à gratia efficaci distinctam, explodi à Janſenio ut hæreticam. Perperam enim dicerent, hic peti à Janſenio gratiam verè sufficientem in sensu (ut placet illis dicere) Molinistarum, non verò gratiam verè sufficientem in Thomistarum sensu: Janſenius enim gratiam verè sufficientem in utroque sensu indiscriminatim rejicit, & averſatur; nam rejicit omnem actualem Christi gratiam, quacum homo verè possit operari bonum, & quæ tamen non sit gratia efficax; rejicit omnem gratiam, quacum homo operaretur bonum si vellet, & quacum non operatur, quia non vult; rejicit omnem gratiam, quacum homo habet verum, proximum & completum posse, ad actum secundum reducibile, ad quem tamen non reducitur; non quia homini deest Deus, sed quia ipse sibi deest; non ob carentiam alicujus virtutis, pertinentis ad posse, sed ob malitiam propriæ voluntatis. Talis autem est gratia verè sufficiens etiam in sensu Thomistico. Ergo gratia verè sufficiens in utroque sensu, Molinistarum scilicet & Thomistarum, Janſenio pariter hæretica est. Sed

Nota obiter. Thomistæ & Molinistæ in aliquo consentiunt, & in aliquo dissentiunt. Nam 1. utrique præter gratiam efficacem defendunt gratiam verè sufficientem, hoc est, gratiam, quæ dat verum, proximum & completum posse, ad actum secundum reducibile, quod tamen ad actum secundum non reducitur voluntatis humanæ vitio. Hoc est fidei dogma, in quo conveniunt. 2. Præter hanc gratiam, quæ dat verum, proximum & completum posse simpliciter, concursum prædeterminativum ad actualem volitio-

nem necessarium esse contendunt Thomistæ, Molinistæ verò negant, & dicunt sufficere simultaneum, alii quidem simultaneum solum, alii simultaneum cum concursu prævio non prædeterminativo; alii denique cum concursu prævio prædeterminativo ad genus actionis, non ad hanc speciem actionem, ut volunt Thomistæ. Hæc est scholaris controversia, quam inter se acriter agitant, animo nihilominus catholico, & parati utrique, Molinistæ quidem (de quo pro illis sponsor sum) ad amplectendum concursum physicè prædeterminativum ad speciem actionis, ubi primum ad actualem operationem necessarium esse definierit Ecclesia; Thomistæ verò (ut par est de illis credere) ad concursum illum deferendum, si quando Ecclesia definierit illum nec requiri, nec conciliari posse cum expedita ad utrumlibet libertate arbitrii. 3. Quærenti quare homo cum gratia sufficienti non operetur bonum, respondent Thomistæ, quia ponit impedimentum ne prædeterminetur, vel, quia non finit se prædeterminari ad hoc, ut se ipse determinet ad volendum operari; Molinistæ verò breviter, quia se ipse non determinat ad operandum, sed è contra se ipse determinat ad non operandum.

Ex his apparet doctrinam gratiæ sufficientis in utroque sensu, Thomistico & Molinistico, è diametro pugnam cum principiis doctrinæ Janſenianæ; connotat enim activam in homine lapsa indifferentiam non solum apud Molinistas, sed etiam apud Thomistas, & hujus indifferentiæ, ratione prius, quàm homo, sufficientem habens gratiam, careat concursu ad actualem operationem necessario, aliquod dicit exercitium, apud Molinistas quidem positivum; nam secundum illos, homo non habet concursum simultaneum ad consensum, sed ad dissensum, quia se ipse positivè determinat ad dissensum; apud Thomistas verò interpretativum; nam secundum illos, non habet concursum prædeterminativum ad consensum, sed ad dissensum, quia non finit se prædeterminari ad consensum. Hoc autem, non finire se prædeterminari, est activæ indifferentiæ, non quidem positivum, sed interpretativum, negativum; vel, si vis, privativum exercitium. Cum igitur Janſenius nullum pro statu præsentis activæ indifferentiæ exercitium admittat, & activam pro statu præsentis indifferentiam infectetur velut dogma Pelagianum, imò & caput Pelagianæ hæresis; qui admittit gratiam sufficientem etiam in sensu Thomistico, doctrinæ Janſenii aperte contradicit. Hinc

Facile apparet ratio propter quam Janſenius non admittit, nec admittere potest gratiam verè sufficientem, quæ simul non sit ex natura sua irrepuabili-ter efficax. Quam rationem ut exponam, sic argumtor pro Janſenio. Homo per peccatum originale amisit irreparabiliter activam indifferentiam circa bonum & malum. Ergo non potest amplius velle bonum ex propria determinatione. Ergo non potest amplius velle bonum, nisi ex antecedenti necessitate illud volendi. Ergo non potest amplius velle bonum sine auxilio necessitante ad illud volendum. Ergo nunc solum auxilium necessitans est auxilium verè sufficiens ad posse bonum; & auxilium verè sufficiens ad posse bonum, tale est, quia vim habet necessitandi ad illud volendum, præsertim cum ratione prius sit velle, quàm posse; nec homo velit, quia potest, sed è contra possit, quia vult. Atqui auxilium necessitans ad volendum bonum, est gratia ex natura sua irrepuabili-ter efficax. Ergo nunc nulla est gratia verè sufficiens, quæ simul non sit gratia ex natura sua irrepuabili-ter efficax. Hæc est Janſenii doctrina! Hinc

Cum apud Janſenium duplex sit gratia efficax, una perfectè, & altera imperfectè tantum efficax, duplex quoque apud eum est gratia sufficiens, una perfectè, & altera imperfectè tantum sufficiens. Gratia perfectè sufficiens est ea, quæ sufficit ad perfectum velle, hoc est, ad velle quantum oportet ad faciendum bonum, & sufficit ad perfectum velle, quia vim habet necessitandi ad perfectum velle. Gratia imperfectè

fecte tantum sufficiens est ea, quæ tantum sufficit ad imperfectum velle, hoc est, ad velle inefficax, adeoque insufficiens ad faciendum bonum; tantum autem sufficit ad imperfectum velle, quia tantum vim habet necessitandi ad imperfectum velle. Delectatio cœlestis terrena delectatione maior, quia vim habet necessitandi ad perfectum velle (nam juxta Janfenium, quod amplius delectat, etiam indeliberatè, secundum hoc operemur necesse est,) est gratia perfectè sufficiens. Cœlestis delectatio delectatione terrena minor, quia tantum vim habet necessitandi ad imperfectum velle, est gratia imperfectè tantum sufficiens, quacum hæremus in velleitibus ac desideris inefficacibus, & nihilominus unum volumus & facimus, quia ad illud efficaciter volendum & faciendum necessitamur à delectatione terrena, cœlesti prævalente.

Neutra gratia potest esse purè sufficiens ob consensus defectum, sed utraque insuperabiliter exprimit consensus sibi proportionatum. Neutri unquam homo dissentit, aut dissentire potest in sensu composito, sed cum utraque ineluctabiliter facit id totum, quod cum utraque fieri potest. Apud Thomistas, gratia verè sufficiens, ab efficaci distincta, est purè sufficiens ob voluntarium & liberum consensus voluntatis defectum. Apud Thomistas, gratia verè sufficiens, quæ ab efficaci distinguitur, homo liberè dissentire potest, & re ipsa dissentit in sensu composito, tum quia non sinit se prædeterminari ad consensum, tum quia sub physica prædeterminatione ad dissensum se ipse determinat ad dissensum. Ex his omnibus prudens lector judicet, num Janfenistæ, non repudiata magistri sui doctrina, admittere possint gratiam verè sufficientem in sensu Thomistarum.

3. Thomistæ gratiam efficacem constituunt in physica prædeterminatione, de qua sic loquitur Janfenius, lib. 8. de gr. Chr. c. 2. *Prædeterminatio physica est motio nescio qua virtuosa, quæ habet esse quoddam incompletum, & fit in voluntate per modum quo colores sunt in aere, & impetus in re quæ impellitur. Cujus profecto speculationis in Augustino nullum vestigium esse video. Hanc autem planè eandem physicam suam prædeterminationis descriptionem tradunt ipsi Thomistæ. At juxta Janfenium, gratia efficax est cœlestis delectatio, terrena delectatione intensior, quæ voluntas rapitur & necessitatur ad volendum & agendum bonum. Augustino, inquit, Janfenius ibid. vera Christi gratia (qualis est sola & omnis gratia ex natura sua irrepudiabiliter efficax,) est verissimus motus voluntatis, ineffabilis videlicet delectatio objecti, quod proponitur, quæ totum animum sursum rapit... unde non est sicut color in aere, aut virtus artis in instrumento, sed sicut verissima & realissima voluntatis affectio in suo connaturali & propriè dicto subiecto esse solet. Hinc juxta Janfenium, gratia efficax est in voluntate ut vitalis actus illius; secundum Thomistas verò, ut qualitas intentionalis, transiens, & mortua.*

4. Gratia efficax, secundum Thomistas, non potest de efficaci fieri inefficax: at apud Janfenium potest. Ratio ejus est, quia cœlestis delectatio non est efficax absolute, sed relativè tantum ad terrenam delectationem, intensivè minorem, quæ quia sic est quandoque intensivè minor, ut possit esse & sit quandoque intensivè major, sic quandoque à cœlesti delectatione vincitur, ut quandoque illam vincat. Unde fit ut cœlestis delectatio sit quandoque gratia efficax (simpliciter scilicet, & in ordine ad perfectum velle, quod semper suppleri debet,) quia quandoque vincit delectationem terrenam, quando scilicet ea intensivè major est; & quandoque non sit gratia efficax, quia quandoque intensivè minor est delectatione terrena, à qua proinde tunc vincitur. Unde ulterius fit ut in hac mortali vita voluntas hominis non subit immutabiliter eidem necessitati, sed possit transferri ab una necessitate ad aliam, & rursus ab hac rapi ad illam, transferri à necessitate faciendi malum ad necessitatem faciendi bonum, & rursus à necessitate faciendi bonum rapi ad necessitatem faciendi ma-

lum. Unde homo quandoque bonè, quandoque malè operatur, non quia se ipse determinat modò ad unum, modò ad alterum; sed quia modò à delectatione cœlesti ad bonè, modò à delectatione terrena ad malè volendum & operandum necessitatur.

Audiamus Janfenium hoc suæ & Thomistæ de gratia efficaci doctrinæ discrimen exponentem. *Prædeterminatio, inquit ibidem, physica talis esse dicitur, ut in quibuscumque circumstantiis voluntas collocetur, semper faciat facere, & operetur effectum suum, omnemque superet resistantiam: Christi adjutorium nullo modo. Nam delectatio vitrix, quæ Augustino est efficax adjutorium, relativa est. Tunc enim est vitrix, quando (in gradibus intensificationis) alteram superat. Quod si contingat alteram ardentiorē esse, in solis inefficacibus (quantum ad bonum attinet) desideris hærebit animus, nec efficaciter unquam volet, quod volendum est.*

5. Ut ait Janfenius ibidem, Thomistæ dicunt, quod *prædeterminatio physica sit instar concursus cujusdam generalis Dei in ordine supernaturali. At juxta Janfenium, adjutorium Christi, seu gratia efficax, nullo pacto, sic se habet. Nota. Thomistæ in homine piè operante duplicem agnoscunt gratiam, excitantem scilicet, & prædeterminantem. Excitans est virtus complens potentiam; prædeterminans verò, actualis concursus prævius, quem, ut ait Alvares, Deus ex parte sua paratus est omnibus conferre. Prima dat verum, proximum, & completum posse simpliciter. Secunda dat agere. Prima se tenet ex parte actus primi, & cum ea voluntas potest non agere etiam in sensu composito. Cum secunda non potest quidem voluntas non agere, nisi in sensu diviso; sed se tenet tantum ex parte actus secundi, aut ad summum, est quid medium inter actum primum & actum secundum, & transitus ab uno ad alterum. Adde quod pendeat à voluntate, ut sit vel non sit hic transitus; pendeat, inquam, aliquo sensu, quatenus potest voluntas sinere, vel non sinere se prædeterminari.*

Hæc est Thomistarum doctrina, juxta quam nihil est in actu primo, etiam proximo & completo, quod voluntatem obliget ad alteram partem contradictionis, vel contrarietatis. Unde in *systemate* Thomistarum, voluntas in actu primo, etiam proximo & completo, immunis est ab omni necessitate, & expeditam habet facultatem agendi vel non agendi, agendi hoc vel ejus contrarium pro arbitrio. Hinc in *systemate* Thomistarum, nullum est adjutorium necessitans. Et verò si quod est, vel est gratia excitans, vel gratia prædeterminans. Non primum: nam gratia excitans se tenet quidem ex parte actus primi, sed compatitur dissensum, & sic non potest actum primum obligare ad unam partem. Non secundum: nam gratia prædeterminans non potest quidem compari dissensum, sed non tenet se ex parte actus primi, adeoque illum ad unam partem obligare non potest. Adjutorium autem necessitans est illud omne & solum, quod se tenens ex parte actus primi, illum ad alteram contradictionis partem obligat.

Juxta Janfenium, gratia efficax se tenet ex parte actus primi; quod facilè demonstratur. Nam 1. vel se tenet ex parte actus primi, vel se tenet ex parte actus secundi, vel mediat inter utrumque, & est transitus ab uno ad alterum. Non secundum, aut tertium; alioquin esset instar actualis concursus, quod negat Janfenius. Ergo, &c. 2. Gratia efficax, juxta Janfenium, se habet ad modum medicinæ sanantis potentiam infirmam & ægotam. Atqui medicina se tenet ex parte subiecti, quod sanatur. Ergo juxta Janfenium, gratia efficax se tenet ex parte potentia. Atqui quod se tenet ex parte potentia, se tenet ex parte actus primi. Ergo, &c. 3. denique, illud se tenet ex parte actus primi, quod dat posse. Atqui juxta Janfenium, gratia efficax dat posse. Ergo, &c.

Dices. Tam dici potest in *systemate* Janfenii gratia efficax mediat inter actum primum & secundum, & esse transitus ab actu primo ad actum secundum, quam dicitur gratia prædeterminans in *systemate* Thomistarum,

rum,

rum, mediare, &c. R. hoc esse falsum. Itaque in systemate Thomistarum, gratia prædeterminans dici potest mediare inter actum primum & secundum, & esse transitus ab uno ad alterum: 1. quia se habet instar actualis concursus prævii: nam quæ actualis est concursus, supponit actum primum; & quæ concursus est prævius, natura præcedit actum secundum: ergo mediat inter utrumque, & quidem ut transitus ab uno ad alterum; cum potentiam ad agendum applicet. 2. Quia, illo nondum posito, per gratiam excitantem habetur actus primus, proximus, & completus; & illo non posito, non habetur actus secundus.

In systemate Jansenii, gratia efficax non est instar actualis concursus, nec ea nondum posita, potest esse actus primus, proximus, & completus. Itaque in Jansenii systemate, gratia efficax non mediat inter actum primum & secundum, nec est transitus ab actu primo ad secundum, sed mediat inter actum primum remotum, ac incompletum, & actum primum, proximum, ac completum, estque transitus ab actu primo, remoto ac incompleto, ad actum primum, proximum ac completum; trasfert enim voluntatem ab uno ad alterum, dando ei perfectum posse; & dat ei perfectum posse, dando ei perfectum velle. Igitur in systemate Jansenii, gratia efficax se tenet ex parte actus primi; quod adhuc uno verbo demonstrari potest sic: Quia si non se teneret, in systemate Jansenii, voluntas proximam & completam volendi & operandi bonum haberet facultatem independentem ab omni gratia medicinali, quod pelagianissimum est, nec unquam admitteret Jansenius. Igitur in systemate Jansenii, gratia efficax est adiutorium verè necessitans; cum sit adiutorium ineluctabiliter ac insuperabiliter prædeterminativum ad unum, & se teneat ex parte actus primi, adeoque actum primum ad alteram contradictionis partem ineluctabiliter ac insuperabiliter obliget. Hoc agnoscit Jansenius: unde voluntati sub tali adiutorio non aliam, quam à coactione immunitatem, nec aliam quam spontaneitatis libertatem concedit.

6. Thomistæ necessitatem gratiæ prædeterminantis repetunt ab essentiali causæ secundæ etiam liberæ ad Deum subordinatione in agendo, vi cuius subordinationis necesse est, ut in omni actione etiam libera causæ secundæ liberæ Deus natura prius agat, quam ipsa causa secundæ libera, adeoque causa secundæ libera non agat etiam liberè, nisi dependenter à Deo ipsam præmovere & prædeterminante ad agendum liberè. *Prædeterminatio physica*, inquit Jansenius ibidem, necessaria statuitur omnibus agentibus ex vi causæ secundæ, quæ essentialiter tam in operari, quam in esse suo subordinatur primæ, à qua ad agendum præmoveri debet.

Gratiæ prædeterminantis necessitatem repetunt etiam Thomistæ à voluntatis indifferentia, hoc est, negatione naturalis ad unum determinationis: unde voluntas sic activa est, ut non possit se in actum exercere sine prævia in ipsam actione primi motoris. Jansenius verò gratiæ efficacis necessitatem repetit ex vulnere homini per peccatum originale inflicto. Hoc autem vulnus, juxta Jansenium, consistit in eo, quod homo, amissa irreparabiliter indifferentiæ libertate, quæ in statu innocentie fruebatur, nunc ita concupiscentiæ vinculis constrictus teneatur, ut cum gratia indifferente, quantumcumque magna, non possit amplius se ipsum determinare ad bonum operandum: unde fit, ut nunc ad bonum operandum indigeat adiutorio, quod faciat eum, non ex propria determinatione, cum propriæ determinationis non sit capax amplius, sed spontè velle, quantum oportet, ut bonum operetur. *Prædeterminatio physica*, inquit Jansenius, in agentibus liberis insuper exigitur propter naturalem indifferentiam voluntatis, quam ut aliquid agere possit, prædeterminare debet: Christi adiutorium neutiquam. Nam nisi concupiscentiis voluntas vulnerata, sicut in quadam corporis membra, ita etiam in appetitus suos

proprium perdidisset imperium, nulla Christi gratia eam determinare debuisset.

7. Thomistæ docent gratiam prædeterminantem tam necessariam fuisse Angelis viatoribus, & homini in statu innocentie, quam homini nunc necessaria est in statu naturæ lapsæ. Ratio eorum est, tum quia in Angelis viatoribus, & homine innocente, voluntas fuit ad unum indeterminata, sicut est in homine lapsa; tum quia causæ secundæ liberæ ad causam primam subordinatio essentialis est, in quocumque statu existat. At juxta Jansenium, gratia efficax capitaliter repugnat statui Angelorum viatorum & hominis innocentis. Ratio ejus est, quia Angeli viatores & homo innocens habebant activam indifferentiam seu libertatem indifferentiæ, vi cuius poterant cum gratia indifferente & repudiabili bonum agere, & in bono perseverare, si vellent. At gratia efficax, qualem scilicet defendit, utpotè ex natura sua irrepudiabilis, & actus primi ad alteram contradictionis partem insuperabiliter obligativa, stare non potest cum activa indifferentia, seu libertate indifferentiæ, sed eam necessariò perimit, & excludit ab omni subiecto, in quo est: unde congruere non potest, nisi voluntati, activa sua indifferentia spoliata, à terrenis delectationibus subjugata, necessitati peccandi subiectæ, adeoque non valenti amplius bonum velle & agere sine adiutorio, quod terrenis delectationibus potentius sit, eamque à necessitate peccandi ad bene volendi & agendi necessitatem traducere possit.

Juxta Jansenium, gratia efficax non conveniebat Angelis viatoribus & homini innocenti, sed homini lapsa tantum convenit; quia Angeli viatores, & homo innocens, ad bonum volendum & agendum non indigebant gratia necessitante, & non indigebant, quia liberi erant libertate indifferentiæ, & sic sufficiebat illis gratia repudiabilis, adeoque non necessitans. At homo lapsus ad bonum volendum & agendum indiget gratia necessitante, & indiget, quia indifferentiæ libertatem amisit, & sic jam ei sufficere non potest gratia repudiabilis, quæ requirit in subiecto suo libertatem indifferentiæ; sine cuius exercitio consensum salutarem exprimere non potest gratia repudiabilis, & sine qua homo cum gratia repudiabili non magis potest bonum velle & operari, quam homo cæcus videre potest cum lumine.

Prædeterminatio physica, inquit Jansenius, expressè dicitur (à Thomistis) statui innocentie tam Angelorum, quam hominum fuisse necessaria: Christi adiutorium ei repugnat capitaliter; sicut Augustinus ex professo docet. Voluntas enim eorum sic erat instituta, ut cum adiutorio non Christi salvatoris medicinali, quo fit ut velimus & agamus bene sed cum adiutorio sine quo non volumus aut agimus bene, possem si vellent in sanctitate persistere; & Adamus multis horis, Angeli etiam absolute in collata sanctitate perseveraverunt.... Itaque Christi adiutorium non propter indifferentiam voluntatis determinandam; non propter generalem causæ secundæ à prima dependentiam; non propter actum bonorum supernaturalitatem; sed propter solam liberi arbitrii impotentiam & fractas voluntatis vires, quæ ex libidinum terrenarum dominatione prostrate sunt, hominibus lapsis Christi incarnatione & sanguine preparatum est.

8. Gratia physicè prædeterminans cum arbitrii libertate conciliatur secundum Thomistas, in quantum secundum illos non tollit, aut ligat activam voluntatis indifferentiam, sed eam perficit & roborat, tum quia est instar concursus generalis, adeoque non se tenet ex parte actus primi, sed vel se tenet ex parte actus secundi tantum, vel est via, qua transitur ab actu primo ad actum secundum; tum quia voluntatem prædeterminat non solum ad actum, sed etiam ad modum actus, atque ita voluntatem prædeterminat non solum ad agendum, sed etiam ad agendum liberè, seu ex propria determinatione; cum sit instrumentum voluntatis divinæ, quæ efficacissima est, & tunc vult, ut voluntas non solum agat, sed etiam liberè agat, atque omnipotentia, quæ per actionem suam

non

non solum actum causæ liberæ, sed etiam modum libertatis ejus efficaciter attingere potest. *Tertium fundamentum est*, inquit Alvarcz, lib. 12. disp. 121. num. 3. *concursum Dei generale esse influxum immediatum Dei in causas secundas, per quem præmoven- tur, applicantur, & determinantur, ut operentur unaquæque juxta conditionem suæ naturæ, naturalis quidem naturaliter, libera autem liberè.* Et inferius num. 6. *Inferitur, secundo infallibilitatem futuri consensu, effectusve prædestinationis ex decreto absoluto divine voluntatis, atque ex ipsa efficacia auxilio- rum prævenientis gratiæ desumptam, in nullo præjudicare ejusdem arbitrii libertati, siue quantum ad potentiam ipsam liberam, siue quantum ad actualem usum illius; sed mirum in modum illam perficere, & roborare: quia, ut dictum est, Deus non solum decrevit, quod homo operetur, sed etiam voluit, quod liberè operetur, & suo auxilio efficaci ejusdem hominis voluntatem, ut liberè operetur prædeterminat.*

Jansenius verò libertatis arbitrii cum gratia conciliationem in eo præcisè ponit, quod voluntas sub gratia non nihil agat, sed gratiæ cooperetur, spontè licet necessario, volendo. *Demonstrandum est*, inquit lib. 8. de gr. Chr. c. 5. *nunquam Augustinum respondendo Pelagianis, de violata per gratiam libertate conquerentibus, istum conciliandi modum tetigisse, quod voluntas ita per gratiam velit, ut possit non velle, sed semper illum, quod operante gratia non infar trunci, quem Deus moveat, feramur ad bonum, verum quod gratia non alium quempiam, sed nos ipsos faciat velle quod bonum est.* Et inferius: *Nihil evidentius esse potest, quam Pelagianos non aliter putasse libertatem voluntatis violari, nisi quia Deus per gratiam totum solus faceret, adeoque hominem invicem & reluctantem ad bonum cogeret: nec aliter Augustinum liberum arbitrium defendere, & concordiam utriusque tradere, nisi quia non sola in homine operatur, sed etiam voluntas ex nolente & repugnante sit volens, & volendo cum gratia aliquid facit.* In hoc autem libertatem voluntatis cum gratia conciliandi modo ducem secutus est Calvinus Jansenius, ut patet ex dictis, Art. 2.

Porro, quod non est prætermittendum, quàm alienus fuerit à systemate Thomistico Jansenius, ostendit ipse, cum ait, lib. 8. de gr. Ch. c. 2. *Quapropter qui medicinalem Christi Salvatoris gratiam sic defendere conantur, ut eam in talem prædeterminationem physicam transforment, omni statui hominum lapsorum & innocentium ex vi causæ primæ & indifferentiæ voluntatis necessariam, magis profecto Aristotelici, quàm Augustiniani sunt.* Nam talis prædeterminatio sic asserta, non solum nullo testimonio ejus probari potest, sed potius universam doctrinam ejus innumeris locis traditam inexplicabili confusione perturbat, &c.

ARTICULUS IV.

Utrum gratia efficax sit gratia necessitans voluntatem ad consensum.

RESPONSIO.

Gratia efficax non est gratia necessitans voluntatem ad consensum. Est de fide, contra Lutherum, Calvinum, & Jansenium.

Prob. 1. ex Concilio Senonensi. Neque, inquit decreto 15. liberum arbitrium asserentes divinam excludimus propterea gratiam; quod illi falso toties imponere non verentur, atque hoc summo credulorum oculos perstringere: sed juxta sacram Scripturam eo extendimus, ut voluntas humana misericordia prævenientis auxilio suffulta, & interiori quodam & occulto secretioris inspirationis afflatu contacta, sese convertat in Deum. Neque tamen tanta gratia necessitas libero præjudicat arbitrio; nec enim tale est hujusmodi trahentis Dei auxilium, cui resisti non possit Frustra Paulus Thessalonicenses admoneret, Spiritum sanctum ne extinguerent, si divinis inspirationibus homines inevitabiliter raperentur.

Synodus loquitur de gratia, quacum voluntas non solum potest converti in Deum, sed etiam re ipsa convertitur; adeoque loquitur de gratia efficaci. Unde sic argumentor. Si gratia efficax esset gratia necessitans voluntatem ad consensum, voluntas non posset resistere gratiæ efficaci, & inevitabiliter ab ea raperetur. Atqui hoc evidenter repugnat Senonensi Synodo. Ergo, &c. Vel etiam sic. Si gratia efficax esset gratia necessitans, voluntas non posset resistere gratiæ, quacum convertitur in Deum, sed ab ea inevitabiliter raperetur. Consequens est contra decretum Senonensis Synodi. Ergo, &c.

Prob. 2. ex Concilio Tridentino, sess. 6. ubi cap. 5. loquens de gratia, quacum, ei liberè assentiendo & cooperando, ad suam ipsorum justificationem disponuntur homines, sic ait: Ita ut tangente Deo cor hominis per Spiritus sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat, inspirationem illam recipiens, quippe qui illam & abjicere potest, neque tamen, &c. Et can. 4. Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum non posse dissentire, si velit ... anathema sit. Et can. 5. Si quis liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum amissum, & extinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo, imò titulum sine re ... anathema sit. Et can. 32. Si quis dixerit hominis justificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius justificati merita, &c. anathema sit. Ex his autem

Argumentor sic. Ex Trid. potest homo gratiam, quacum re ipsa ad suam ipsius justificationem disponitur, abjicere seu repudiare, eique dissentire, si velit. Atqui hoc non posset, si gratia illa esset necessitans: repugnat enim gratiam necessitantem repudiari posse; cum in tantum sit necessitans, in quantum intrinsecè irrepudiabilis est. Item repugnat dissentiri posse gratiæ necessitanti, quia si voluntas potest dissentire, hoc ipso non necessitatur ad consensum. Ergo gratia illa, quacum homo ad suam ipsius justificationem disponitur, adeoque gratia efficax, non est gratia necessitans.

Præterea, si gratia efficax debet esse gratia necessitans, certè quia, ut volunt Novatores, homo non potest velle bonum, nisi ad illud volendum necessitetur. Falsum cons. Ergo, &c. *Prob. min.* Si homo non potest velle bonum, nisi ad illud volendum necessitetur, certè quia non potest amplius etiam cum gratia se ipsum determinare ad volendum bonum, ut per se clarum est, & ipsi Novatores dicunt. Atqui hæc ratio nulla est, & hæretica. Ergo, &c. *Prob. min.* Nam si homo non potest amplius etiam cum gratia se ipsum determinare ad volendum bonum, liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum irreparabiliter amissum & extinctum est: liberum enim arbitrium in sensu Catholicorum omnium, & in quo proinde à Trid. sumitur, est facultas agendi vel non agendi ex propria determinatione, positis omnibus ad agendum prærequisitis. Atqui quod liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum amissum sit & extinctum, falsum & hæreticum est, ut patet ex Canone Tridentino. Ergo, &c.

Præterea, si gratia efficax esset gratia necessitans, homo, quoties bonum salutare vellet, vellet illud necessariò. Ergo non esset liber libertate indifferentiæ circa bonum salutare: hominem enim velle aliquid necessariò, & nihilominus circa illud habere libertatem indifferentiæ, contradictionem implicat. Ergo non esset liber libertate arbitrii circa bonum salutare, etiam cum gratia efficaci: libertas enim arbitrii est libertas indifferentiæ. Ergo liberum hominis arbitrium, post Adæ peccatum, amissum & extinctum esset irreparabiliter, quod est hæreticum, & ut tale damnatum à Synodo Tridentina.

Nec dic, Synodum can. 5. per liberum arbitrium non aliud intelligere, quàm facultatem spontè volendi sive bonum sive malum, positis omnibus ad volendum prærequisitis. Nam contra est, quia, 1. hic canon petit Calvinum & Lutherum, qui negant in homine lapso, non facultatem spontè volendi, pos-

tis